

## CAPUT IV.

## De specialibus irregularitatis causis, ubi ex defectu proficiscitur.

Huc referendi sunt tituli 14. 17. 18. 19. 20. & 21. lib. 1.

**M**ultiplex à nostris memorari solet defectus, ob quem quis efficitur irregularis. Ut plurimum hisce formulis designari solent universi; vel enim defectus est natalium, vel libertatis, vel corporis, vel animi, vel famæ, vel denique Sacramenti.

Defectus natalium olim de iis dicebatur, qui nati essent servi, can. 21. dist. 54. sed hodie propriè dicitur de iis, qui nati sunt ex damnato quocumque coitu, variis nominibus appellati in cap. 10. vers. *Unde patet* de renuntiat., vel *notii* ex adultera, vel *maneres* ex prostituta, vel *naturales* ex concubina, vel generali vocabulo *spiritu* stupro, incestu, sacrilegio, aliave nefaria conjunctione suscepti. Hæc irregularitatis species ante sæculum undecimum saltem in genere suo fuit incognita. Eoquidem verum est, in Toletana provincia singulare illud viguisse, ut filii spiritui Sacerdotum paternæ hereditatis spe omni sublata addicerentur perpetuæ servituti gratia Ecclesiarum, can. 3. caus. 15. quæst. 8., sed hoc & singulare fuit in ea provincia, & non diu viguit, & si qua esse potuit irregularitas, ex servili potius conditione proficisciebatur, quam ex illegitima natiuitate. Verum pariter est, in Meldensi Concilio anni 845. aliquid singulare constitutum fuisse de filiis ex raptu genitis, can. 17. caus. 1. quæst. 7., id tamen neque ad cæteros illegitimè natos spectabat, neque in ea ipsa raptus specie executioni mandatum fuisse videtur. Jam ego observavi in meis adno-

tationibus in codicem Gratiani part. 1. cap. 50., Meldenses canones paratam executionem non invenisse, quorum nonnulli aut rejecti deinde fuerunt, aut certis conditionibus recepti. Quod, si de dicto canone 17. sermo sit, receptus quidem fuit in ea parte, in qua decernebatur penitentia raptorum, non verò in ea, in qua filii ex raptu geniti dicti fuerunt irregulari res. Reverà prior pars confirmata reperitur in Capitulari Caroli Calvi anni 846., uti liquet ex cap. 67. ejusdem Capitularis, ommissa posteriore parte, quamquam posteriorem hanc partem in sua collectione deinde inseruerit Regino Prumiensis lib. 1. cap. 415. & 416., quem deinde sequi non dubitaverunt recentiores canonum Collectores. Primum ea irregularitatis species obtinuit sub finem sæculi undecimi in filiis Sacerdotum ex definitionibus Concilii Pictaviensis, Urbani II., & Alexandri II. can. 1. & 12. dist. 56., cap. 1. de filiis Presbyt., deinde paulatim ad omnes traducta, qui ex improba conjunctione nascerentur, etiam si de iis ageretur, qui nati essent ex justis nuptiis, eo tamen tempore geniti, quo dissociati conjugès fuissent post solemnem continentiam voti professionem, cap. 4. & 18. eod. tit., cap. 7. 20. & 25. de elect., dicto cap. 10. de renuntiat. Nihil autem refert, an illegitima natiuitas occulta sit, an publica; tantum si occulta fuerit, singulare est, ut facillius dispensatio obtineatur, præsertim si qui eo impedimento detinetur, jam fuerit ordinatus, can. 14. dist.

## De causis irregularitatis, ubi ex defectu proficiscitur. 299

dist. 56., dicto cap. 10. de renuntiat. Non una fuit novæ hujus inducenda irregularitatis ratio; in primis enim decebat, in ordine ecclesiastico servari decessus, quod non parum labefactari videbatur, si ad illum promiscuè admitterentur, quorum origo foret obscura æquè, ac vitiosa; deinde decebat, ea ratione parentum libidinem magis magisque damnari: præterea videbatur magis consultum Ecclesiarum utilitati, quam excluderentur à sacris officiis iis, de quibus suspicio suboriebatur facillè futurum; ut paterna exempla sequerentur, argumento canonis 50. dist. 56. His accessit singularis ratio de filiis Sacerdotum ne Ecclesiæ, & beneficia hereditaria censerentur, dum de parentibus in filios transferrentur, ex quibus omnibus rationibus factum est, ut difficilior in Sacerdotum filiis, quam in cæteris, difficilior in spurciis, quam in naturalibus, difficilior in iis, qui paterni sceleris imitatores videntur, quam in aliis, difficilior denique ad obtinenda paterna, quam alia beneficia, seu ad ministrandum in ea Ecclesia, in qua parentes ministrant, quam in alia dispenserentur, cap. 10. vers. *Non tamen* de renuntiat., cap. 13. qui fil. sint legit., cap. 14. 15. 16. 17. de fil. Presbyt., cap. 2. de corp. viriat., Concilio Tridentino sess. 25. de Reform. cap. 15. Inde tria veluti principia posita sunt. Primum est, omnes illegitimè natos irregularis esse ob suspicionem imitationis paternæ incontinentiæ, quod vitium à ministris suis perpetuò avertendum Ecclesiæ optimo jure curavit. Alterum est, exemplo hujus criminis similem jurisprudentiam etiam observatam fuisse in quibusdam aliis, veluti in filiis hæreticorum, cap. 15. de hæret. in 6. & in filiis eorum, qui vexaverint Cardinales, cap. 5. de pœnis in 6., & in filiis patronorum, qui beneficiarium Clericum occiderint, cap. 12. de pœnis, etiam si legitimi sint. Aliqui adjuvant filios Judæorum, argumento ca-

nonis 31. caus. 17. quæst. 4., falsò tamen; etenim ibi sermo est de Judæis necdum baptizatis, item de officiis publicis non gerendis abs Judæo, quorum officiorum nominæ minimè veniunt in eo canone Sacri ordinis, ac divina ministeria. Postremum est, si agatur de filio Sacerdotis etiam legitimo, hunc nullo modo immediata successione obtinere posse beneficium defuncto patre, quod pater ipse dudum obtinisset, proptereaquod minimè deceat, beneficia ecclesiastica quoquo modo fieri hereditaria, can. 7. caus. 8. quæst. 1., cap. 7. 10. de fil. Presbyter., cap. 3. de sentent. & re jud. in 2. collectione; atque ob eandem causam non posse, aut pensiones obtinere ex paternis beneficiis luendas, aut ex paterna renuntiatione beneficium acquirere, ne aliàs fraus fiat collationibus beneficiorum, Concilio Tridentino cap. 5. sess. 25. de Reform. in fine. An verò filius obtinere possit beneficium distinctum à beneficio paterno in eadem Ecclesia, quæstio est distinctione adhibita dirimenda. Siquidem alia legitimum liberorum est ratio, alia illegitimum. Legitimi liberi poterunt in eadem Ecclesia sine injuria canonum ministrare, cap. 12. de fil. Presbyt., non item illegitimi, Concilio Tridentino sess. 25. de Reform. cap. 5. ne fortè præsentia filii illegitimi cum patre in eadem Ecclesia ministrante, videatur paternum crimen assidue pandere.

Defectum libertatis non solum intelligimus esse in iis, qui servi dicuntur, sed & in iis, qui aut curia, aut militia addicti sunt, aut rationibus reddendis obnoxii, aut conjugii vinculo detinentur. De servis non ordinandis sine consensu domini vetustissimi canones extant, can. 81. inter apostolicos, can. 1. & passim dist. 54., quibus consonant recentiores definitiones, cap. 1. & toto titulo de servis non ordinandis, qua in re accuratissima fuit Ecclesia, quæ aliquando in consecratione Episcoporum



rum, voluit eosdem specialiter monendos his verbis: *Vide, ne quemlibet servilis conditionis ad ordines promovere stasimas*, cap. 5. de serv. non ordin. Hujus irregularitatis incidenda causa primum ea fuit, ne minus honestè videretur inter ecclesiasticos administratos adscribi humilis servi persona, can. 6. & 21. dist. 54. cujus rei argumento est, quod dicitur in cap. 3. de serv. non ordin. *ex necessitate temporis quandoque fieri*, ut servi etiam post libertatem datam ordinentur. Altera causa fuit, ne Ecclesia videretur dominis fraudem facere, can. 5. 7. 9. 10. dist. 54., atque ideo quoties dominus vel expressè, vel tacitè consensusset, eove magis quoties servum manumisisset, ordinatio rata habebatur, can. 1. 2. 4. 5. 6. & sequentibus dist. 54., cap. 2. 3. 4. de serv. non ordin. Dominis sanè consentientibus licuit certas, honestas tamen, conditiones adicere, scilicet ut defunctis eisdem ordinatis domini ipsi extra ecclesiastici peculii causam succederent, vel ut ordinati tenerentur Ecclesiastica quædam officia dominorum gratia gerere, can. 8. 10. dist. 54., cap. 3. & 4. de serv. non ordin., nusquam verò Episcopis licuit fraudem dominis facere, & eisdem invitis servos ordinare. Quod si Episcopus servum invito domino ordinasset, non eadem ubique, & perpetuè disciplina viguit. Siquidem in Italia temporibus Gelasii Papæ discrimen erat inter servum Sacerdotio insignitum, & servum in ordinem Diaconorum allectum, & servum in inferioribus ordinibus initiatum. Si de Sacerdotio ageretur, restituebatur peculium domino, retento servo inter Clericos, sive in Collegio Clericorum, tanquam persona semel Deo dicata; si de Diaconatu, præter peculium domino dari debebat vicarius, atque hoc deficiente Diaconus ipse restitui; si de inferioribus ordinibus, rejecto ordinato à clericali cætu, incolumia erant dominis jura universa, can. 9. 10. & 11. dist. 54. In Gallia ordinato ser-

vo aut in Presbyterorum, aut in Diaconorum gradu, duplum domino luebatur ab ordinante, quoties ordinans conscius fuisset conditionis ordinati; secus duplum pendebatur domino ab iis, qui servum ab Episcopo ordinari petissent, can. 19. dist. 54., quamquam deinde in Capitulari Ludovici Pii anni 816. can. 6. statutum fuerit, ut ordinati suis dominis restituerentur, quod legitimus in Capitularium libro 1. cap. 82. & lib. 5. cap. 210., & sub nomine Concilii Toletani in can. 6. dist. 54., & in cap. 2. de servis non ordinandis. Ubi viguit jus Justinianæum, quod præsertim usuevit apud Græcos, recipiebatur in primis, ut si servus sciente, & non contradicente domino ordinaretur, eo ipso & libertatem, & ingenuitatem acquireret, recasurus tamen in potestatem domini, si ecclesiastica ministeria deseruisset, & ad vitam secularem transisset; deinde ut servus ignorante domino ordinatus repeti posset à domino, dummodò hic intra annum servilem ordinati conditionem, suamque dominiacam in ordinatum potestatem demonstraret; item ut si non de servis, sed de adscriptitiis ageretur, possent quidem isti etiam præter voluntatem domini ordinari, dummodò agriculturam sibi à domino impositam adhuc impleverent, Nov. 123. cap. 17., denique ut si de servis ageretur ad Episcopatum promotis, tunc ordinati eo ipso ab omni dominica potestate eximerentur, eadem ratione, qua filiusfamilias ordinatus Episcopus patriam potestatem evadit, Novel. 81. cap. 3., & Novel. 123. cap. 4. Has constitutiones Imperatorias retulit Gratianus in can. 20. dist. 54., ubi tamen quadam adjecte de servis, qui monasticam professionem emisissent, quæ sanè exigenda sunt ad integrum textum, qualis habetur in Nov. 5. cap. 2. Relatæ etiam sunt constitutiones illæ in codice Justinianæum, auth. *Sed Episcopalis*, auth. *Adscriptitios*, auth. *Si servus*, auth. *Episcopalis*,

lis, & auth. *Verum* de Episc. & Cleric. sed authenticarum auctor nonnulla ibidem adjecte, quæ in Novellis desiderantur, uti liquet in conspectu dictæ authenticæ *Adscriptitios*, quæ quidem consonat cum Novella Justinianea in ea parte, qua dicitur, Clericos ex adscriptitiis ordinatos debere agriculturam implere, non tamen consonat in altera parte, qua subjicitur, *subrogato aliquo, quem maluerint*. In Decretalibus Gregorii IX., quæ generalem sæculi decimitertii disciplinam stabilivisse videntur, res ita definita est, ut perpetuè quidem prohiberetur Episcopis, ne servos invitis, aut incensis dominis ordinarent; cap. 1. 5. & 8. de serv. non ordin., quoties verò ageretur de servis contra canones ordinatis, vel restituendis, vel non restituendis, distingueretur, an ageretur de ordinibus majoribus, & sacris, an de minoribus, & minus sacris, adeo ut in prima specie non restituerentur dominis, restituerentur in altera, cap. 13. vers. *Præterea* qui fil. sint legit. Hinc cum temporibus Innocentii III. ordo Subdiaconorum inter sacros receptus esset, rescriptum est, servum in Subdiaconorum gradum adlectum non debere domino suo restitui. Sic defraudandum erat ab iis, qui in proposita disquisitione opportunius ducebant sequi doctrinam Gelasii Papæ in dicto can. 9. 10. & 11. dist. 54., insuper habitis cæteris modò commemoratis. An verò qui ordinati in sacris restitui non debebant, ita reciperentur in Clericorum cætu, ut sacris officiis juxta ordinem susceptum ministrarent, quasi irregulari non essent, non liquet definitum expressè fuisse. Quid ergo? Quando recentioribus Pontificibus visum est Gelasii Papæ doctrinam sequi, ex mente ejusdem Gelasii repetenda est hujus questionis definitio. At verò Gelasius, qui in can. 9. & 10. dist. 54. voluit, Sacerdotes, & Diaconos iterum redigi non debere in servitutem, voluit in canone 11. ejusdem distinctionis Diaconos

ordinatos à sacris officiis repelli oportere. Ergo voluit haberi tanquam irregulares. Porro aliud erat, Sacerdotes, & Diaconos non restitui in servitutem pristinam, quòd fuisset dedecori ordini Sacerdotali, ac Diaconali; aliud erat, Sacerdotes, & Diaconos in sacerdotali, & diaconali ministerio suscipi, quòd mali exempli fuisset, ex quo improbè, & contra canones facta ordinatio suum omninò effectum consequeretur. At dicet: quid de his servis ordinatis? Fa-teor non constare. Conjecto tamen, aut auguror, eos fortè in communionem peregrinam adductos, spe concepta futurum aliquando, ut domini ordinationem ratam haberent, & bonis conditionibus libertatem donarent, quo casu impedimentum omne cessabat. Quod si queratur, an, ubi servus consentiens, vel ratam ordinationem habente domino fuerit ordinatus; adhuc subjaceret juripatronatus; ego respondeo, vel ipsos sacros canones permississe quandam juripatronatus speciem, veluti eam, aut qua dominus uni potius, quam alteri Ecclesie ordinatum ab Episcopo addicendum postularet, à designata Ecclesia in suo domino non advocandum, can. 40. dist. 54., cap. 6. de serv. non ordin., aut qua dominus clericis in quibusdam officia ab ordinato exigere, & qualia erant, de quibus sermo fit in cap. 9. de serv. non ordin. Non memoro, quod supra dictum est, temporibus Justiniani Imperatoris, etiam adscriptitios ordinatos conditioni suæ adhuc morem gerere debuisset, juxta dictam Novellam 123. cap. 17., propterea quòd aliud tulit recentior disciplina, cui se accommodavit laudatus editor authenticarum, dum in dicta auth. *adscriptitios* adjecte illa verba *subrogato aliquo, quem maluerint*. Quod autem dico de juripatronatus, intellige de eo casu, quo certæ conditiones adjectæ fuerint à domino tempore ordinationis, vel quo ignorante domino servus ordinatus proponeretur, non quoties dominus tempore ordinationis nul-



la reservatio facta servum aut expressè, aut tacite manumisisset, dicto cap. 6. de serv. non ordin. etenim antiqua lex est, quæ servus consentiente domino ordinatus non tam libertatem, quam ingenuitatem adipiscatur, Nov. 123. cap. 17. quid autem est acquirere ingenuitatem, quam haberi, ac si nunquam quis in servitute fuisset? Sed hæc hodie exalaverunt; post abolitâ servitutem inter Christianos, quamobrem post Gregorii IX. collectionem vix indicari sanctionem canonum possent, in quibus aliqua constituta deprehendantur de ordinatione servorum.

Vetus quoque fuit canonum disciplina, quæ Curiales à clericali ordinatione arebantur, can. 1. 2. & 3. dist. 51. Duplex hujus irregularitatis causa fuit. Prima erat, propterea quod Curiales non omnino liberi à curiis publicis viderentur, atque ad peragenda divina officia expeditis, dum à loco Curia, cui causa vel originis, vel domicilii, vel possessionum adscribebantur, recedere minime possent, & recedentes nihilominus advocarentur, can. 2. dist. 51. Altera erat, propterea quod Curiales quibusdam ludis publicis præponi solebant, qui sanè aut Clericum, aut eum, qui Clericum futurus erat, pœnitentia dedebant, can. 1. & 3. dist. 51. Ex quo fit, ut is, qui à Curia dimissus esset, nihilominus adhuc à clero areceretur, si ludis publicis olim præfuisset, quasi manente adhuc nota quadam, quæ Clerici personæ non conveniret. Hæc porro causa est, quare licet Episcopatus liberaret à fortuna servili, non ita liberaretur à conditione Curiali Episcopatus ordinatus; ut enim ait Justinianus, ex tali fortuna Sacerdotio fieret injuria, Nov. 123. cap. 4. & 15. authent. Sed neque Curiales; authentica *Episcopalis ordo*, cod. de Episc. & Cler. can. 20. dist. 54. Adhuc sexto sæculo id in usu fuisse, satis constat ex monumentis, modo laudatis, et hodie cum abierit in desuetudinem Curialium census, inter antiquitatis re-

liquias hæc disciplina recensetur.

Minus quoque liberi sunt ad ordines ecclesiasticos adipiscendos, qui militia nomen dederunt, uti enim isti publico munere detinentur ex Principis designatione, non debent sine consensu Principis ordinari. Quæ in re plura distinguenda sunt, ne facile quisquam hallucinetur, & unam cum altera disputatione confundat. Nimirum aliud est querere, an militia suapte natura quemquam irregularem efficiat, ita ut etiam post militia officia exacta, & post honestam missionem irregularitas perseveret; aliud querere, an qui ordinis militari adscripti sunt, ideo sint irregulares, quia non deceat quemquam auctoritate Antistiti à publico officio avocari. Sunt canones numero plurimi, qui facile ex oscitantia Interpretum huc illic flectuntur. Sunt etiam diversæ causæ, propter quas modò pro irregularitate, modò adversus irregularitatem est pronuntiandum. Quid enim ex. gr., si quis non tantum militia nomen dederit, sed etiam in congressu pugnaverit, hostemque fregerit, occiderit, aut clade, caede, vel vulnere affecerit? Evenire profectò poterit, ut quis irregularis vel caedis, vel vulnervis illati causa dicatur, quin sola militia professio irregularem effecisse credatur. Quid si militia, quam quis inivit, indigna viro Christiano pernituit sit, veluti cum Christianis athenicorum exercitui sese junxerit, ut armis vexaret Christianos? Potuit sanè hoc militia genus irregularitatem inducere ex præscripto canonum, quin generaliter verum sit, militarem professionem per se irregularem militem facere. Itaque antiquissimus qui adparet, cano, est octagesimus secundus inter Apostolicos, in quo decernitur, ut deponatur Episcopus, Presbyter, aut Diaconus, qui militia vacaverit, & simul utrumque officium, ecclesiasticum scilicet, & militare, retinere voluerit. Hinc profectò minime colligitur, milites irregulares existere; tantum deponi præcipitur eum,

eum, qui militiam cum sacro ordine junxerit: at depositio ab irregularitate distinguitur; & depositio non indicitur ex causa militia, sed ex causa, utriusque suscepti, exercitiique officii sacri & militaris. Imò & exinde tacite insinuat, non esse deponendos Episcopos, Sacerdotes, & Diaconos, si post depositio militare cingulum uni sacro ministerio vacent; quod indicium est nullius præstituta in milites irregularitatis. Quod in sacris canonibus definitum est in hac parte de militum irregularitate, ad duos casus pertinet. Primum casus est, cum de milite agitur adhuc in numeris consistente, quem ordinari non signi ecclesiastica disciplina, ne ad ecclesiastica ministeria transferantur, qui publicis adhuc officiis detinentur, argumento can. 1. dist. 54., ne aliàs à præfectis suis iterum in militiam reducatur, argumento can. 3. dist. 51. Et reverà Gregorius Magnus morem gessit in hac re Imperatori Mauritio, dum legem promulgavit, ne militia adscripti in Clericorum cætum adsciscerentur, can. un. dist. 53. In hac specie nulla dubitatio est, quin milites ab ordine suo dimissi promoveri ad ordines valeant, uti luculenter adparet ex can. 1. quæ dist. 63. Alter casus est, cum de milite agitur, qui in prælio fuerit; & quemquam etiam jure vel occiderit, vel mutilaverit. Verum cum liquet, hunc irregularem existere, irregularitas non tam ex professione militaria, quam ex illata caede, vel mutilatione derivat; atque hæc irregularitas dicitur potius ex defectu lenitatis, de qua sermo inferius instituetur, & perseverat etiam post missionem ab ordine militari. Ad hunc casum spectat canon 1. dist. 51., ubi de militibus sermo fit, qui *saevi*, vel, uti alii legunt, *severa sunt præcepta exequuti*. Extra hosce duos casus nulla videtur in milites indici irregularitas. Videatur elegans notificatio 101. in secundo tomò notificat: Cardinalis Lambertini, inde Benedicti XIV., qui

hanc materiam absolvisse videtur. Non debet tamen omittere nonnullorum canonum interpretationem, nimirum Innocentii I. in can. 2. dist. 51., & Concilii Toletani seu I. seu IV. in can. 4. & 5. dist. 51., & in can. 5. caus. 23. quæst. 8., qui negotium quoddam facessere deprehenduntur. Tradidit Innocentius I. in dicto can. 2. dist. 51., non ritè ad ordines ecclesiasticos assumi, si quis fidelis militaverit, id est si quis fide data, & sacramento obstricta militiam profiteretur. Pertinet ergo ea dispositio ad eos non ordinandos, qui adhuc in militia consistent. Si dubites de hac interpretatione, præ oculis habeas velim, Innocentium initio epistolæ profiteri, se nihil novi statuere, sed indicare tantum, quid postulent generales canonum regulæ: at enim generalis canonum dispositio ea ætate suadebat, ne qui adhuc officiis publicis detinerentur, in Clericorum ordinem adlegerentur. Quod statutum est in Concilio Toletano I., si legendum esset, uti legitur apud Gratianum in dicto can. 4. dist. 51. adjecta illa particula *ad necandos fideles* videretur statim non generaliter de militia conceptum, sed de ea, quæ odio Christianæ fidei susciperetur. At ea particula in actis Concilii desideratur. Eam ob rem dicendum, sanctionem illius canonis & singularem fuisse in Toletana provincia, & fuisse singularibus illius ætatis adjunctis accommodatam. Etenim cum illa ætate in Hispania conquirentur Episcopi de lapsa clericali disciplina, cui occasione dederant improvidæ electiones Clericorum, præsertim illorem, qui jamdiu armis, propterea que etiam seditionibus adseverant; atque occasione præbentibus Gothis & Vandalis universa patre occidibus, & claudibus impleverant, paulo rigidior disciplina invecita fuit; non facile ad alias provincias traducenda, neque ad ulteriora tempora proroganda. Porius ad generalitatem canonum disciplinam referendus est canon Concilii Toletani IV. in die-



to can. 5. dist. 51., ubi cum ab ordine ecclesiastico excluduntur, qui militia seculari dediti sunt, intelliguntur exclusi ii omnes, qui actu militiae serviunt, eodem modo, quo etiam excluduntur ibidem, qui sunt obnoxii servili conditioni, futuri sane idonei ad sacram ordinationem statim ac libertatem fuerint consecuti. Denique quod spectat canonem 5. caus. 23. quæst. 8., non de militia conceptum est, sed de Clericis arma sumptibus facta seditione; neque constat, Clericos huiusmodi irregulares fuisse habitos, sed potius in perpetuum depositum iri, indicta poenitentia in monasteriis peragenda.

Insuper administratores bonorum alienorum, quousque essent rationibus reddendis obnoxii, ab ecclesiasticis ordinibus olim fuisse remotos certum est, quasi non omnino libertate potitos; cuiusmodi erant actores, & executores rerum, & jurium publicorum, tutores pupillorum, & curatores minorum, ac similibus personarum, can. 2. dist. 51. can. 3. dist. 54., can. 1. & sequentibus caus. 22. quæst. 3., cap. 1. de obligat. ad ratiocin.; cap. 1. & toto titulo ne Cler. vel Mon. Optima sane disciplina, ideo inducta, quod non deceret, Clericos reddendis inde rationibus detineri, ne forte, si inde eorum administratio suspecta adpareret, infamia in Clericorum ordinem redundaret, & qui rationes redditurus esset, Clericus, ad fora publica traheretur, culpæ vel doli, prout res postularet, poenam daturus. Huius tamen regulæ dux erant exceptiones. Prima locum habebat in iis, qui legis necessitate ad suscipiendam administrationem adigerentur. Si enim vel ipsi Clerici minime ab onere legitimæ tutelæ eximebantur, excusabilis erat laicus, quoties tutelam huius generis administrans clero adscribi postularet, can. 1. caus. 21. quæst. 3. Altera locum habebat in iis causis, quæ aut Clericis committi ex canonum censura debent, cuiusmodi est administra-

tio rerum ad Ecclesiam, vel Monasterium pertinentium, aut Clericis committi maxime convenit, cuiusmodi est administratio bonorum pauperum, viduarum, & huiusmodi miserabilium personarum, dicto can. 1. Hinc liquet, hanc irregularitatis speciem non perpetuam fuisse, sed certo tempore circumscriptam, tandiu nimirum imminente, quamdiu non essent redditæ rationes, can. 3. dist. 54.; can. un. dist. 53., cap. 1. de obligat. ad ratiocin. Hodie testantur Pragmatici, hanc irregularitatem ex usu recepto vigere tantum duobus in casibus. Primus est, si publicis rationibus quis adstringatur. Alter est, quam privatarum quidem rerum quis gessit administrationem, sed jam in iudicio conventus fuit ob dolum.

Denique conjugio obstricti, quasi ex defectu libertatis, irregulares habentur, nisi uxor consentiendo datam sibi fidem relaxet, can. 6. dist. 77., cap. 1. & passim de convers. conjugat. Id olim potissimum vigeat in maioribus ordinibus. Verum cum recentiore ætate minores ordines non tam veluti singularia gerenda officia, quam veluti media ad majores ordines consequendos haberi cœperunt, obtinere necessario debuit, ut irregularitas eadem ad minores etiam ordines extenderetur; imò & ad universa etiam beneficia, ad eam hanc nequeant impetrari, argumento capituli 1. & 2. de Cleric. conjug. Nihil amplius ad hanc rem adjicio, cum jam plura alibi à me tradita fuerint in tractatione de iuribus conjugiorum.

Defectum corporis, ex quo irregularis aliquis dicitur, hoc in loco intelligimus, cum quis ea corporis affectione laborat sine culpa, factove suo, qua ne in sacris officiis honestè, ac decorè ministret, impediatur. Et quidem hoc in Mosaica divina lege fundamentum habet, Levitici cap. 21., deinde legibus ecclesiasticis fuit expressè constitutum, ac confirmatum, can. 5. dist. 33. can. 1. dist. 36., can. 1. 3. dist. 55. Diffici-

le sanè fuit singularis species desinire, quibus impedimenta singulorum ordinum, & officiorum designarentur; quamobrem verba canonum generalia sunt, quibus corpore vitari ab ordinibus excluduntur, dicto can. 5. dist. 33., can. 1. dist. 36., can. 1. dist. 55., verum hanc interpretationem recipiunt, ne quis ad ordines admittatur, qui tale corpore vitium contraxerit, quo aut non absolutè potest, aut non facillè, aut non decorè sacra officia gerere, cap. 10. de renuntiat., cap. 1. ult. de corpor. vitiat., cap. 2. 3. & 4. de Cler. ægr., can. 2. caus. 7. quæst. 2. Hinc est, quod occultum quodcumque corporis vitium, quod neque impedit sacrorum officiorum administrationem, neque aliàs horrorem quemdam, & aversionem in populo ingenerat, neminem reddit irregularem, argumento cap. 3. de corp. vit., can. 4. 5. 7. 8. 9. 11. dist. 55. Nemo igitur non videt, ubi de singularibus, prout res incidit, speciebus agatur, facti potius, quam juris esse quæstiones, quarum aliqua dumtaxat rescriptis definitæ fuerunt, à quibus deinde ad similia prudens iudex possit argumentari. Definitum deprehendimus, irregularem dici oculo orbatum, aut qui maculam gravem in oculo contraxit, can. 13. dist. 55., cap. 2. de corpore vitiat., & quidem sine ullo discrimine, seu dexter sit, seu sinister, quod enim dici solet de oculo canonis, sive sinistro, eò spectat, ut, quoties in eo vitium sit, difficillius obtineatur dispensatio, & non nisi immutato ritu in celebratione Missarum, videlicet permitiendo, ut læsus Sacerdos tabellam canonis legat in medio altaris collocatam. Definitum deprehendimus, irregularem dici aut pede læsum ita, ut sine baculo sustineri non possit, can. 57. de cons. dist. 1., aut manu mutilatum, cap. 6. de corp. vitiat., aut destitutum digito ad Eucharistiæ ministerium necessarium, cap. 1. & 7. eod., aut etiam destitutum ungula pollicis in dextera, ita, ut nequeat facillè sacram hostiam

frangere, cap. ult. eod., aut destitutum duobus digitis, medio, & quarto, cap. 2. de Cler. ægrot. Adde his leprosos, epilepticos, paralyticos, aut tali morbo laborantes, quo mens ferè alienetur, can. 3. dist. 33., can. 14. 15. caus. 7. quæst. 1., can. 2. caus. 7. quæst. 2., cap. 3. 4. 5. 6. de Cler. ægrot. Quis non dixerit, id ipsum dicendum fore, ubi de muto ageretur, de surdo, de cæco, aut aliàs monstruoso, quamquam nihil tale expressum specialiter in canonibus invenitur? Quod si dubitatio quædam emergat, ad Episcopum pertinebit desinire, an species talis sit, in qua irregularitatem sacri canonis indicandam voluerint, can. 3. dist. 33., cap. 2. de corp. vit. Contingit quandoquæ dubitari, an quis certo morbo laboret, qui sacris ministeriis impedimento sit. Hac in specie ad Episcopum pertinebit, indicta interea suspensione ab ordine, si expedire pro adjunctis iudicetur, certa tempora præfinire, intra quæ liquere de vicio possit, can. 2. caus. 7. quæst. 2., ubi licèt dicatur, designatos fuisse triginta dies, non inde tamen deducitur, hoc tempus singulis in casibus designandum esse, cum potius id referatur ad speciem facti singularem propositam, eò vel magis, quia non constans est omnium codicum fides, in quorum aliquibus pro voce *triginta* legitur *obviginta*, quemadmodum jam observaverunt Romani Correctores. Quid verò, si de vicio constiterit, eamque ob rem vitiosus Clericus jussus fuerit à sacris ministeriis abstinere, deinde Clericus alleget, se sanitatem pristinam recuperavisse? Perspicua est constitutio Toletani Concilii anni 675. can. 13., relata à Gratiano sub nomine Pii Papæ in can. 3. dist. 33., qua præstituitur, annum esse expectandum, intra quem liqueat, Clericum reverè à morbo liberatum existere. In hac irregularitatis specie observatur, ut quidem defectus in causa sit, ne quis ordines, aut beneficia



suscipiat; non verò defectus subsequens in causa sit, ut ab adeptis beneficii commo-  
modis repellatur, quamquam ab ordi-  
nis exercitio sit excludendus, can. 1.  
dist. 36., can. 12. dist. 55., can. 1.  
caus. 7. quast. 1., cap. 2. 3. 4. 5.  
6. de Cler. agrot.; cap. un. eod. in 6.  
Item observatur, posse aliquem irregu-  
larem esse ratione unius ordinis, & non  
ratione alterius, ejus scilicet, cujus com-  
modè obire officium possit.

Defectus animi irregularem etiam  
facit. Hujusmodi in primis est amentia,  
& furor, & quæ proxima furori est,  
energumenorum conditio, can. 2. 3. 4.  
5. dist. 33., can. 14. caus. 7. quast. 1.,  
et saltem usque, quò infirmitas animi  
perseverat, can. 1. caus. 7. quast. 2.,  
can. 1. 2. 3. 4. 14. caus. 7. quast. 1.,  
cap. un. de Cler. agrot. in 6. Hinc  
non facillè permittitur aut ordinis colla-  
tio, aut executio suscepti ordinis illi,  
quem verosimile est recesurum in amen-  
tiam, aut furorem, & si quid simile esse  
potest, etiam si proponat ipse, se con-  
siliium animi adeptum fuisse, annali tem-  
porè præfinito, intra quod constet de  
veritate, can. 3. dist. 33., can. 14.  
caus. 7. quast. 1., can. 1. caus. 7.  
quast. 2., quamquam si beneficium jam  
adeptus olim fuerit, beneficio non pri-  
vetur, sed dandus sit coadjutor, can. 1.  
2. 3. 4. 14. caus. 7. quast. 1., cap. un.  
de Cler. agrot. in 6. Hujusmodi præ-  
terea est infirmum ætatis judicium: qua  
in re observandum est, olim quidem  
nullum discrimen intercessisse inter æta-  
tem ordinibus, & ætatem beneficiis præ-  
stitutam, quum collatio beneficiorum mi-  
nimè distingueretur à collatione ordi-  
num; hodie tamen, uno dempto epis-  
copali ordine, & beneficio, quæ adhuc  
indivulsa manent, diversis regulis inni-  
ti collationis ordinum, & beneficiorum,  
Itaque ut de ordinibus primùm loquar,  
statutum scimus, ut ne prima quidem  
tonsurâ infans, seu septennio minor ini-  
tiatur, cap. 4. de tempor. ordin. in 6.  
Addidit Concilium Tridentinum, consue-

ra initiandos confirmatos esse oportere,  
& in fidei rudimentis edoctos, ac tales,  
ut legere saltem & scribere valeant, ita  
ut Episcopus eos à Deo vocatos esse  
ad clericalem militiam coniciat, cap. 4.  
sess. 23. de Reform. In constitutis ul-  
tra infantiam nulla est in jure determi-  
nata ætas, quam demùm conferri mi-  
nores ordines possint; quamquam enim  
aliquando constitutum fuisse sciamus,  
neminem decem & octo annis minorem  
potuisse inter lectores adnumerari, can. 2.  
dist. 78., id tamen ab usu recessit. Tan-  
tùm hodie adhaeremus disciplina Tri-  
dentini Concilii, in quo cautum est,  
minores ordines non esse conferendos, qui  
sætem latinam linguam intelligant, at-  
que ita de gradu in gradum ascendant,  
ut in eis cum ætate vitæ meritum, &  
doctrina major accrescat, sess. 23. de  
Reformat. cap. 11. Si de majoribus or-  
dinibus sermo sit, quidquid olim vi-  
geret, can. 3. 4. 5. 6. 7. dist. 77.,  
can. 1. 2. 4. 5. dist. 78., Clement. 3.  
de ætate faciend., hodie ex Conci-  
lio Tridentino observatur, ut nemo ad  
Subdiaconatum ante annum 22., ad  
Diaconatum ante 23., ad Presbyteria-  
tum ante 25. ætatis annum promovea-  
tur, dicta sess. 23. cap. 12., quibus  
tamen in speciebus sufficere annum in-  
ceptum fuisse. De Episcopatu nihil ad-  
dixerunt Tridentini Antistites; quam-  
obrem integra manet vetus disciplina,  
juxta quam nemo eligi potest, nisi qui  
jam trigessimum ætatis annum exegerit,  
cap. 7. de elect., nemo etiam postula-  
ri, nisi qui vigesimumseptimum ætatis  
annum attigerit, extravag. 1. de postu-  
lat. Prælat. int. com. Si deinde de  
ætate loquar, quæ requiritur ad impe-  
tranda beneficia, primùm producitur pers-  
picua Tridentini Concilii constitutio in  
cap. 6. sess. 23. de Reform., ubi ca-  
vetur, ut nullus prima tonsurâ initiatus,  
aut etiam in inferioribus ordinibus con-  
stitutus ante decimumquartum annum  
possit beneficium obtinere; quod de-  
cretum intelligas nolim de iis beneficiis,  
quæ

quæ singularis, & expressa fundatorum  
voluntas etiam ætate minoribus conce-  
di posse constituit. Non inde tamen  
colligitur, omnia beneficia concedi posse  
illis, qui vix conciliarem illam æta-  
tem attigerint; sunt enim numero plu-  
rima, quæ proveciorem adhuc ætatem  
desiderant. Sic ad beneficia curam ani-  
marum adnexam habentia nemo admit-  
titur, nisi 25. annum attigerit, cap. 7.  
vers. Inferiora de electione, cap. 14.  
eod. tit. in 6., Concilio Tridentino  
sess. 24. de Reform. cap. 12. Sic ad  
dignitates, & personatus, quibus nulla  
coheret cura animarum, non minores  
annis 22. admittuntur, dicto cap. 12.  
Tridentino. Sic ad Canonicatus, præben-  
das, & præstimonias requiritur ea ætas,  
quæ institutus possit intra tempus abs  
jure definitum eo ordine insigniri, quem  
Canonicatus ipsi, præstimonias, & præ-  
bendæ requirunt. In omnibus verò Ca-  
thedralibus Ecclesiis cautum est, ut om-  
nes Canonicatus, & præstimonias habeant  
adnexum ordinem Presbyteratus, vel  
Diaconatus, vel Subdiaconatus, prout  
Episcopus de consilio Capituli designa-  
verit, dicto cap. 12. Tridentino. Cum  
ergo in cæteris beneficiis nihil singula-  
re statutum adpareat, sufficere ætas an-  
norum 14. juxta dictum caput 6.  
sess. 23., nisi major ætas foundationum  
tabulis præstituta fuerit, aut nisi præ-  
staturus fuerit eisdem foundationum tabu-  
lis certus ordo, qui majorem ætatem  
desideret, aut nisi agatur de beneficiis  
regularibus, quæ cum tantum professi-  
sis, aut brevi professuris concedi vale-  
ant, eam ætatem desiderant, qua aut  
quis profiteri possit, aut proximè sit,  
ut ritè profiteatur. Adjicitur, id Abba-  
tis, & Prioratus conventualibus æta-  
tem requiri annorum 25. inceptorum;  
quamquam cæteri Prioratus exigant sal-  
tem annum vigesimum completum, jux-  
ta Clementinam 1. vers. Cæterum de sta-  
tu Monach. Quicumque autem ante æta-  
tem canonicibus designatam beneficium  
consecutus fuit, habetur ac si nunquam

illud consecutus fuisset, quasi collatio  
ipso jure in irritum cadat, cap. 7. &  
20. de elect., cap. 2. & 3. de ætate,  
& qual. præfic., cap. 14. & 35. de  
elect. in 6. Concil. Trident. sess. 7.  
de Reform. cap. 3.

Animi quoque defectus in eo dig-  
noscitur, qui ea doctrinæ suppellectile  
non est instructus, quam ordinis, vel  
beneficii qualitas postulat, can. 1. dist. 36.,  
can. 3. dist. 38., can. 2. dist. 49.,  
can. 5. dist. 51., can. 1. 3. dist. 55.,  
can. 45. caus. 1. quast. 1., cap. 14.  
15. de ætate & qual. præfic., cap. 7.  
de elect., cap. 14. eod. in 6., cap. 4.  
de tempor. ordin. in 6. Hanc in rem  
editæ sunt varæ canonum sanctiones,  
quibus vel generaliter proponitur, Cle-  
ricos scientia idoneos esse oportere, vel  
etiam singularis doctrinæ, imò & ali-  
quando certa parte doctrinæ specimina  
requiruntur, nimirum in quibusdam of-  
ficiis majoribus. Generali sanctione sta-  
tutum est, ut Clerici abstinere à fig-  
mentis Potarum, can. 2. 15. dist. 37.,  
can. 5. dist. 86., à libris hæreticorum,  
atque hæreticorum, can. 1. dist. 37.,  
& à vana dialectica, can. 3. 4. 6. dist. 37.,  
temperantes insuper ab inani, & plus  
æquo curiosa physicarum rerum cura,  
dicto can. 3. dist. 37., necnon ab im-  
penso studio civilis juris, cap. 28. de  
privileg., nisi eatenus, quatenus ea ope-  
ra necessaria sit, & ad res sacras atin-  
endas opportuna, can. 8. 9. 10. 11.  
13. 14. dist. 37., Concilio Tridentino  
sess. 23. de Reform. cap. 18., totos  
se in rerum sacrarum notitiam confe-  
rant, quales aut in sacris litteris, aut  
in canonicis, aut in Sanctorum Patrum  
codicibus exhibentur, can. 5. dist. 24.,  
can. 1. 6. 8. 9. 10. dist. 38., can. 4.  
14. dist. 37., Concil. Trident. sess. 5.  
de Reform. cap. 1., & dicto cap. 18.  
sess. 23., uno verbo ad ea contendant,  
in quibus sita est scientia religionis, ac  
pietatis, can. 10. dist. 37. Item gene-  
rales adparent sanctiones, quibus deffi-  
nitur, in Cathedralibus, & Collegiatis



Ecclesiis Præceptores institui, quibus excolantur ingenia adolescentium ad ordines provehendorum, can. 12. dist. 37., cap. 1. 2. 4. 5. 7. de Magistr., cap. 4. de ar. & qual. præf. Concil. Trident. sess. 5. de Reform. cap. 1. Generales quoque sanctiones sunt, quibus aut facilius quadam privilegia literatis Clericis conceduntur, cap. 28. in fine de præbend., aut facultates extra ordinem conceduntur iis, qui velint in literis proficere, cap. 34. de elect. in 6., aut non mediocris ratio habetur gratiarum generalibus studiis tributarum, uti in Concilio Tridentino sess. 25. de Reform. cap. 9. Singularia præterea multa statuta fuerunt pro modo ejusque ordinis. Primum de Episcopis in veteribus canonibus legebatur, eosdem debere præ ceteris excellere sapientia, ac doctrina, can. 3. dist. 36., can. 6. dist. 38., cap. 7. de elect. in 6., de renunt. Pressius Tridentinum Concilium in cap. 2. sess. 22. de Reform. mandavit, ut electus in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel jure Canonico merito sit salutatus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur; quod si Regularis fuerit, à Superioribus suæ Religionis similem fidem habeat. Deinde in dignitatibus, aut officiis, quæ Scholasteriam adæquam habent, mandavit idem Concilium in cap. 18. vers. *De cætero* sess. 23. de Reform., ut conferantur nonnisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licentiatis in sacra pagina, aut in jure canonico, & aliis personis idoneis, & qui per se ipsos id munus explant. Insuper idem Concilium in sess. 24. de Reform. cap. 12. vers. *Archidiaconi* mandavit, ut Archidiaconi in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, sint Magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati in jure Canonico. De Parochiis antiquæ sunt canonum definitiones, quibus docetur, eos in sacris litteris eruditos esse debere, psalterium nosse, & ca-

nonnes Pœnitentiales; item ea, quæ ad Sacramenta, ad ritus, atque ad Sacramentalia pertinent, can. 1. 2. 5. dist. 38., cap. 4. de ætate & qual. præf., atque ad executionem expeditiorem istorum canonum collineaverunt Tridentini Patres, cum formam concursus in collatione Ecclesiarum Parochialium instituerunt. Presbyteri tanta polleere scientia debent, quanta requiritur ad docendum populum, Concil. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 14.; Diaconi, & Subdiaconi ita exculi esse debent, ut ea, quæ sunt suo muneri necessaria, non ignorent, Concil. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 13., ac præsertim divini officii recitationem, cap. 9. de celebrat. Missar.: Minores ordines consecuturos latinam saltem linguam callere oportet, ita ut in dies ob doctrinæ incrementum de gradu in gradum promoveri mereantur, Concil. Trident. sess. 23. de Reform. cap. 11. Denique tonsura initiandi ex sanctione Tridentina in cap. 4. sess. 23. de Reform., juncto cap. ult. de tempor. ordin. in 6., saltem legere, & scribere noverint, eruntque in fidei rudimentis edocti. Si quærat, an collatio beneficii facta minus idoneo irrita censetur, & ordinatus minus idoneus sit deponendus, distinguere oportet inter casum, quo statutum est, aliquem certo gradu Academicum insignitum esse oportere, & casum, quo idoneus demonstrandus sit ex scientia. In prima specie, cum de Episcopo agatur, puniendus quidem est extra ordinem, non tamen irrita habebitur Episcopalis inauguratio, dicto cap. 2. sessionis 22. Tridentinæ. Neque similis poena irritæ habendæ electionis imminet, ubi agitur de Archidiacono, præsertim quod Concilium Tridentinum in dicto cap. 12. sess. 24., non adeo absolute Academicum gradum in Archidiaconis postulaverit, sed adjecta clausula *ubi fieri poterit*. Ubi verò agitur de Scholasteria, aperta sunt Concilii verba in dicto cap. 18. sess. 23. in quo

legitur, irritam esse collationem beneficii, si concedatur illi, qui nec Doctor sit, nec Licentiatus in Theologia, vel jure canonico, aut talis non sit, qui idoneus habeatur, & munus impositum valeat per se ipsum implere. In posteriore specie, certum est, scientia minus idoneum deponendum esse, can. 5. dist. 11., can. 3. dist. 55., cap. 15. de ætat. qual. & ord. præf., cap. 7. 17. 20. & 53. de elect., imò & aliter quando ipso jure irritam esse beneficii collationem, uti exemplum est in collatione præbendæ Theologalis, juxta Concilium Tridentinum in cap. 1. vers. *De cætero* sess. 5. de Reform. Ex eo, quod mites animo esse Clerici debeant, irregulares sunt, qui ea qualitate juxta normam canonum destituerunt. Defectum lenitatis nostri appellaverunt, cujus causa inuritur nota irregularitatis, quoties homicidium, vel mutilatio fiat, non quidem dolo, aut culpa, quæ dolo proxima sit, tunc enim non ex defectu, sed ex crimine irregularitas immineret, verum quoties fiat, vi voluntariè facta, ubi justa sit occidendi, vel mutilandi causa, can. 1. dist. 51., cap. 24. de homicid. Itaque in proposito triplex homicidium esse potest, (quod dicitur de homicidio, idem intelligatur velim de mutilatione) casuale, necessarium, & voluntarium. Casuale illud est, quod fortuito contigit, nec potuit prævideri; necessarium, quod admittitur vim vi repellendo, ubi quis aliter evadere nequit aggressorem; voluntarium, quod fit deliberata animi voluntate, imò ut plurimum etiam præcedente consilio. Quoties homicidium casuale sit, aut necessarium, nulla imminet irregularitas; nisi homicida non servaverit modum in se defendendo; omisso, uti nostri ajunt, moderamine inculpate tutelæ, aut non omnem diligentiam adhibuerit, ne homicidium sequeretur, veluti si casum culpa præcesserit, cap. 13. 18. de homicid., Clem. 1. eod. tit., Concil. Trident.

sess. 14. de Ref. cap. 7. Hinc solet in his speciebus dispensatio impetrari, quod ut plurimum emergat dubitatio facti de modo servato, vel adhibita omni diligentia. At ex homicidio, vel mutilatione voluntaria, uti justa, ut plurimum iudici solet irregularitas. Tria sunt exempla in hoc proposito, nimirum in militari professione, in causis judicariis criminalibus, atque in Chirurgica, vel etiam Medica artis professione.

Ut de militibus primum dicam, regula generalis est, milites, qui in conflictu mortem in adversarios intulerunt, aut hostem mutilarunt, irregulares existere, non solum si Clerici sint, qui nomen militiæ dederint, can. 5. dist. 50., can. 1. 2. 3. 5. 6. 19. 20. caus. 23. quæst. 8., cap. 5. de penis, sed etiam si laici extiterint, can. 8. dist. 50., can. 1. & sequentibus dist. 51. Verum hæc regula suas habet exceptiones. Quid enim in primis, si Clericus Principatum temporalem gerat dignitatem ecclesiasticæ adnexum, & jure belli inferendi potitur? Militiam ipse jure instruet, & quamquam militaria gesta eidem itaque Principi tribuantur, ab irregularitate tamen erit immunis, argumento cap. ult. ne Cler. vel Monach. in 6. Quid deinde, si Clericus Principem roget, ut arma inferat in hostes fidei, religionis, Ecclesiæ, eosdemque perdat? Exempla commendabilia Sanctorum Ecclesiasticorumque Patrum indicant, nullam in ea specie irregularitatem imminere, can. 7. 10. 17. caus. 23. quæst. 8. Quid item, si pugnetur bello, uti vocant, defensivo, non aggressivo? Cum teneantur etiam Clerici causa tuendæ civitatis vel provincie, in qua degunt, vigiliæ & excubiæ facere, & communitate civium omnium onus ferre necessario debeant, si hostem perimant, iis æquiparantur, qui necessarium homicidium suæ defensionis causa committunt, proindeque erunt sine ulla formidine irregularitatis, argumento capitulo 2. de immunit. Eccles. Hinc in cap. 24.



de homicidiis, idem Clerici declarati sunt irregulariter, quia praesidia egressi non tam se ac praesidia tueri, quam hostes aggredi visi sunt. Si cui difficultatem faciat canon 6. dist. 50., is dicere poterit, eum, qui se defendendo paganum occiderit, aut meræ defensionis limites excessisse, aut paganum adgrediendo prævenisse. Ut enim Nicolai I. etate frequentes erant paganorum excursions, facili Christiani obviam occurrebant, ut illos perderent, cujus rei argumentum est, quod operæ pretium fuerit in Capitulari Caroli Magni anni 762. cap. 2. ita decernere: *Ut Sacerdotes neque Christianorum, neque Paganorum sanguinem fundant*, lib. 7. Capitular., cap. 124. Neminem profecto turbare debet canon 8. dist. 50., ubi legitur, irregularem fieri homicidii consensu sive consilio, sive præcepto, sive defensione. Et enim vox illa *defensione* corrupta esse videtur, & legendum potius *assensione*, quemadmodum in pluribus codicibus habetur. Reverà id consonat cum canone 20. ex Ancyranis, quem Martinus Bracharenensis in eo monumento exhibebat. Canon Ancyranus his verbis conceptus est: *Qui volentes homicidium fecerunt, ad penitentiam quidem jugiter se submitrant, circa autem exitum viæ communioni digni habeantur*. Gravior difficultas occurrit in conspectu canonis 6. dist. 50. Verùm adhuc dici potest, disciplinam Ilerdensis Concilii occasione frequentissimarum Vandalicarum persecutions in Hispania constitutam, fuisse potius ad continendos in officio Clericos accommodatam, ne Clerici nimis excederent, & defensionis necessitatem prætercentes, arma tractarent ad hostium curandas coedes & clades. Revertamur in viam. Quid si milites unum cum exercitu perrexerint, & in conspectu socios quidem habuerunt perimentes, ipsi autem neminem peremerunt, nec socios ipsos ad perimendum concitaverunt? Belli iustitia, uti adnotavit Cardinalis Lambertinus in notificatione 101. tom. 2. notif., in causa erit,

cur facta sociorum ipsis non imputentur causa contrahenda irregularitatis, cap. 3. & 4. de Clerico percuss., juncto cap. 5. de penis. Potiore sanè ratione ne Clerici quidem irregularitatem incurant ex sola armorum delatione, dummodò neminem occiderint, aut mutilaverint, cap. 2. de Cler. percuss., quamquam aliis penis, vel censuris Clerici arma gerentes plebantur, cap. 2. de vita & honest. Clericorum.

Eadem ferè, quæ de militibus dicta sunt, obtinent in illis, qui in causis criminalibus necem reorum jure caverunt. Distinguendi sunt in hac re iudices, accusatores, vel denunciatores, ac testes. Iudices si sententia suam reum morte, vel mutilatione damnaverint, non quidem statim post sententiam, sed post sententiæ executionem fiunt irregulares, quia tunc primum verum est, eos causam morti, vel mutilationi dedisse. De Clericis perspicuè sunt canonum constitutiones in canon 29. caus. 23. quæst. 8., cap. 9. ne Cler. vel Monach., cap. 4. de raptor. De laicis etiam id ipsum statutum videtur in can. 8. dist. 50. & in can. 1. 2. 51. dist. 51. Hæc tamen regula suas habet exceptiones. Primum in viro ecclesiastico, qui temporali jurisdictione cum mero imperio conjuncta, & dignitatis suæ adnexa gaudet, dummodò criminales suæ jurisdictionis causas alteri deleget, cap. 3. ne Cler. vel Monach. in 6., juncto cap. 10. de excess. Prælat. Secundo in Cardinalibus, & Episcopis Solio Pontificio assistentibus ob singularia eorumdem jura concessa à Paulo IV. anno 1557. die 29. Aprilis. Tertio in Inquisitoribus fidei, eorumque Officialibus ex Constitutione Pii V., quibus in locis merum imperium publicè exercent. Quarto in his Prælatibus, qui reum pena ecclesiastica damnatum seculari Magistratui puniendum remittunt, cap. 10. de judic., cap. 2. de Cler. excom. Irregulares quoque sunt ex eadem causa, qui consilium Magistra-

tratu præbent, aut sententiam scribunt in causa criminali, quæ de capite agitur, aut qui executores sententiæ capitalis adjuvant, vel stipant, uno verbo in omnes, qui cooperantur, can. 36. dist. 50., can. 19. 29. caus. 23. q. 8., cap. 5. & 9. ne Cler. vel Monach. Accusatores etiam, vel denuntiatores secuta morte vel mutilatione accusati, aut denunciati sunt irregulares, nisi agatur de iis denuntiatoribus, qui, quod sua interest, consecuturi, querelam de reo apud iudicem proponunt, protestatione adjecta, quæ asserant, se in rei mortem, aut mutilationem non intendere, quamquam inde iudex ex officio supremum supplicium inferat, cap. 2. de homicid. in 6. Testes autem non fiunt irregulares, si auctoritate iudicis vocati fuerint, & quæ noverint, palàm fecerint, cap. 19. vers. *Ad ultimum* de homicidio, ob obprobria 200. obprobria.

Ex quo homicidium, aut mutilatio etiam jura pluribus in casibus modò enumeratis irregularitati causam præbeat, ex defectu, uti nostri ajunt, lenitatis disputatio fieri solet, quid de iis sentiendum sit, qui vel Medicam, vel Chirurgicam artem profitentur, sive exercent, vel quia sic de utrisque sermo sit, aliquando evenire possit, ut seu ignorantia, seu oscitantia mortis alicuius præbeant occasionem, vel quia, si tantum de Chirurgis agatur, sæpè ac sæpius non nisi secundo, utendo, feriendo juxta regulas utilissima artis curare possint, ut ægrotantes in salutem, & valetudinis firmitatem restituantur. Multa sanè in proposito sunt argumenta, aliud enim est querere de iis, qui jam in clero constituti artes illas exercent, num aut in susceptis ordinibus ministrare, aut ad majores gradus ascendere possint; aliud querere de laicis, qui, postquam easdem artes exeruerint, in clerum promoveri desiderant. Aliæ præterea regulæ constituendæ videntur de Medicis, aliæ de Chirurgis; aliæ de iis, qui culpa omni immunes fuerunt in arti-

tibus exercentis; aliæ denique de iis, qui culpæ cujusdam admisse conscii sibi sunt, aut certo adfirmare non possunt, se omnem omnino diligentiam, perpetuè impendisse. Si de iis primum disputandum sit, qui jam clericæ militiæ adscripti fuerint, nulla dubitatio esse potest, quin irregulares habendi sint, quotiescumque Chirurgicam artem professi fuerint, quum ecclesiastici canones ea professione Clericis expressè interdixerint, cap. 9. ne Cler. vel Mon., non sanè quòd irregularitas semper imminet iis, qui canonum disciplinam minimè servant, sed quòd mutilatio, vel adustio, vel incisio, undè irregularitas profluit, sine culpa esse non possit in iis, qui dum mutant, vel adurunt, vel incidunt, legum præceptionibus adversantur, can. 7. dist. 55., cap. 19. 23. & 25. de homicid. Eadem ratione irregulares esse dicemus monachos, utut necdum sacris ordinibus initiatos, quòd constitutio Concilii Lateranensis, qua Clericis interdicitur Chirurgicæ artis exercitio, ad monachos etiam pertineat, utpotè in qua de monachis æquè ac de Clericis expressa mentio habetur, cap. 13. & 9. ne Clerici vel Mon., dicto cap. 19. de homicid. Quid verò, si magna necessitas emergat, ut aliis ægrotanti occurrere non possit, quam ministerio Clerici, vel Monachi in ea arte periti, ex gr. quia laicus Chirurgus præsto non sit, & ex mora grave salutis discrimen ægrotanti immineret. Ad hanc speciem cum nullo modo pertinere videntur laudatum Lateranensè decretum, ne aliàs dicamus, sublatam fuisse Clericis facultatem proximis in extremo etiam laborantibus consulendi, neque propterea extendetur irregularitas. Hæc profectò obtinent in ea Chirurgiæ parte, quam qui proficitur, incidat, inurat, aut sectet; non idem tamen dicendum videtur, si quis leniorem alteram Chirurgiæ partem, quæ nec in incisione, nec in ustione, nec in mutilatione versatur, exercent, præterquam quod



quod enim nullibi adparet constitutum, hujus ratione quemquam fieri irregularem, hanc suo decreto non comprehenderunt Lateranenses Antistites, quando expressam tantum mentionem fecerunt de ea Chirurgiæ parte, *qua adusionem, vel incisionem inducit*. Quamquam in hoc proposito adhuc dicendum est, artem istam esse à Clericorum, Monachorumve institutis alienam, eosque à culpa non excusare, nisi singularia in sodales officia, quæ non lucri spes, sed una sincera charitas concitaverit, aliud postulet; imò & tùm sive Clericos, sive Monachos irregulares dicemus, quando ex ejusdem artis, utut in parte mitissima, executione ob negligentiam exercentis, vel homo mortuus fuerit, vel in aliqua parte corporis contabuerit, etiam si de admissa leviori negligentia ageretur; etenim culpa utut levior, ubi non in omittendo, sed in committendo consistat, à lata culpa minimè distinguitur, cap. 23. de homicid., juncta l. 6. §. 7. ff. de offic. Præsid. His positis stratum viam habemus ad aliam dirimendam disputationem, ubi quaratur de Clericis, aut Monachis artem Medicam exercentibus; quæ enim de leniore Chirurgiæ parte tradidimus, eadem ipsa tradere possumus de mitiore ista disciplina. Quamobrem licet delinquere videatur Clericus, aut Monachus Medicam artem exercens, nisi illum officia charitatis in sodales sine spe temporalis lucri præstanda excusent, quòd à clericalis, vel monasticæ vitæ ratione ea professio sit aliena; non tamen qui exercet, ideo fiet irregularis, quia nullam in hac specie pœnam irregularitatis ex juris definitione imminere deprehendimus, argumento cap. 7. de æt. & qualit. præficiendorum. De laicis, qui postquam aut Chirurgicam, aut Medicam artem exercuerint, in clerum cooptari desiderant, minus aspera disciplina stabilienda videtur. Etiam si enim profectibus illas artes nonnihil lenitatis deesse videri aliquibus possit, unde irregu-

laritas, de qua quaritur, irregularitas ex defectu lenitatis à Pragmaticis passim appellatur, quis tamen ignorat, majorem esse illam lenitatem, quam Ecclesia à Clericis postulat, quam sit lenitas laicorum? can. 37. dist. 50., cap. 1. 6. 8. 9. de homicid., cap. 1. & 2. de Cler. percuss. Quamobrem si fortè Medicus laicus in clero adscribi se postulet, non ex eo irregularis dici poterit, quòd Medicam artem exercuerit; nisi tamen ejus negligentia e venerit, ut ægrotans in mortis discrimen adduceretur. Atque in hac re nihil est, quod difficultatem ingerere valeat, quum habeamus expressam Clementis III. definitionem in dicto cap. 7. de æt. & qual. præficiend. Neque ulla dubitatio esse potest de Chirurgis, quoties eam tantum artis partem professi fuerint, quam mitiorem superius appellavi, sive quæ nec in urendo, nec in secando, nec in incidendo consistat; nisi tamen qui eam exercuerit, negligens adeo fuisse proponatur, ut exinde ægrotans aut moreretur, aut in aliqua corporis parte tabem insanabilem contraxisset. Difficilius est definire alteram quæstionem, quæ in altera minimè leni Chirurgiæ parte versatur. Etenim vulgus Interpretum, ac Pragmaticorum in eam opinionem passim devenisse deprehendo, ut concluderent, eam Chirurgiæ partem profitemtem, utut de minima negligentia redargui minimè possit, fieri irregularem. Si valida invenissem, aut saltem probabilis vulgatæ hujus opinionis fundamenta, & ego facillè subscriberem; neque enim is sum, cui aliena, ac præsertim eorum quæ communibus ferè suffragiis recepta sunt, displicere soleant. Verum ad canonum sanctiones, quod maximè in hac juris parte decet, respiciens; neque ullum inter ipsas monumentum invenies, in quo non dixerim irregularitatis notam præstiti in laicos artem Chirurgicam exercentes, sed nec levi aliqua conjectura eliciatur, ex qua irregulares artem Chirurgicam exercentes fieri deducatur; necessariò cogor, ut aliud

aliud concludam, quando certissimè scio, irregularitatem ex sanctione juris, non ex privatis Interpretum placitis profiscisci. Dicant nunc, qui contrà sentiunt, eam Chirurgiæ partem exercentes lenitate deficiere. Quid, si ego id admittam? Probandum ipsis erit, talem esse defectum lenitatis, contra quem nota fuerit irregularitatis indicta: neque enim quicumque lenis animi defectum habent, statim irregulares esse intelligantur, nisi aut constet de generali canonum sanctione, qua qui lenes omnino non sunt, ad clerici officia promoveri non possint, aut constet de singulari canonum definitione, qua in proposita defectus lenitatis specie indicta fuerit irregularitas. Provovent fortè ad varia exempla, quibus qui cædunt, aut mutilant, utut justa ac legitima de causa, fiunt irregulares. Singularia ista omnia sunt, de quibus expressè proderunt Legumlatorum Antistitum definitiones. Quis autem ignorat, in materie irregularitatis argumentum à similibus petitiu minimè valere? quemadmodum apertissimè docuit Bonifacius VIII., qui interrogatus, an is irregularis evaderet, qui sacra mysteria in polluta Ecclesia celebraret, quasi is non longè distaret ab eo, qui celebraret in Ecclesia interdicta, respondit, nullam imminere in proposito irregularitatem, *cum id non sit expressum in jure*, cap. 18. de sent. excom. in 6. Cæterum licet ita mihi respondendum videatur, quando ad jus tota quæstio revocaretur, si tamen in facti quæstione versarer, tanquam saluberrimum consilium capiendum proponerem, ut saltem ad cautelam dispensatio ab eo, ad quem pertinet, peteretur, non quòd credam, dispensationem petendam ob dubiam juris sententiam; etenim non ignoro, in dubio juris nunquam esse pro irregularitate pronuntiandum; sed quòd gravis esse facti dubitatio posset, quòd scilicet, qui Chirurgicæ artis quamcumque partem exercuit, non omnem omnino, & universis in casibus diligentiam impenderit,

ne ægrotans in quoddam aut vitæ, aut incolunitatis discrimen adduceretur; neque autem ignoro, in facti dubitationibus tutius esse, dispensationem, uti vocant, ad cautelam postulare, cap. 12. 18. & 24. de homicidio.

Defectus famæ etiam irregularem facit. Si enim Clerici dum ordinandi sunt, bonum habere populi testimonium debent, Actum Apostolicorum cap. 6., epist. 1. ad Timoth. cap. 3., can. 5. dist. 51., cap. 11. de excess. Prælat., cap. 87. de reg. jur. in 6., jure optimo arcendi ab Ordinibus erant, qui boni nominis, & famæ jacturam fecissent. Duplex est infamia, popularis scilicet, ac legalis. Popularis ex quodam incerto delicto admissi rumore dependet, ut in cap. ult. de furtis, cap. 10. de renuntiatis, atque hæc quidem operari potest, ut donec infamiam quis contraxerit, nec purgetur, aut ad suscipiendos ordines non admittatur, aut ne in susceptis ordinibus ministret, interdicatur, non tamen ut omnino sit irregularis. Legalis infamia oritur, sive ex lege publica, quæ à civilibus muneribus quemquam arceat, sive ex lege ecclesiastica, quæ ecclesiasticis honoribus quemquam privet, atque ista propriè irregularitatem parit, can. 1. 2. caus. 3. quæst. 7., can. 2. 17. caus. 6. quæst. 1., cap. 5. de pœnis in 6. Porro hæc legalis infamia triplicem habet causam; modò enim ex professione oritur, modò ex qualitate criminis, modò ex qualitate pœnæ in reum inflictæ. Ex professione infames dicuntur, quotquot ludricam, aut comicam artem exercent, can. 2. dist. 33., l. 2. §. 5. ff. de his qui not. infam. Sunt qui adjuvant *Carnifices, seu macellarios, aut tabernarios*, in conspectu Clementinæ 1. de vita & honest. Cler. Alium verò fuisse scopum Clementis VI., vel ex ipsa constitutionis lectione liquidò constat. Ex crimine dicuntur infames, quicumque tale crimen admiserint, cuius rei civili jure infamia notatur, can. 2. 17. caus. 6. quæst. 1., quamobrem colligitur ex levi delicto neminem irregu-



larem fieri, imò nec ex quocumque gravi crimine, sed ex eo tantum, quod publicum sit, & infamia jure notatum, can. 33. 34. dist. 50., can. 3. caus. 6. quæst. 1., cap. 54. de testibus. Horum criminum characteres isti sunt, nimirum si capitalia sint, can. 17. caus. 6. quæst. 1., cap. 13. vers. *Credentes* de hæreticis, cap. 5. de præp. in 6., si ab accusando, vel à testimonio in judicio ferendo quemquam repellant, can. 9. caus. 3. quæst. 5., can. 2. caus. 6. quæst. 1., cap. 54. 56. de testibus; denique si talia sint, quæ publico judicio publicis poenis damnari soleant, cap. 9. de purgat. canon., argumento legis 1. & 2. ff. de publ. judic. Addere debemus ea crimina, quæ jure ecclesiastico excommunicationis poenâ ipso facto puniuntur, dicto cap. 13. de hæret. can. 3. caus. 6. quæst. 1., item ea omnia crimina, quæ memorantur in can. 9. caus. 3. quæst. 5., can. 3. & 17. caus. 6. quæst. 1. Ex poenâ dicuntur irregulares, non sanè qui in numerata pecunia condemnantur causa injuriæ compensandæ, cap. 23. de sentent. & re judic., sed qui poenâ capitali, aut corporali, qualis esset fustium, trirremium, exilii, deportationis subiciuntur; item qui anathemati obnoxii fuerunt, vel degradati, vel etiam depositi etiam depositione verbalis. Non est omitendum hoc in loco, olim etiam irregulares fuisse, qui semel poenitentia publica in Ecclesia additi fuissent, quasi non integra esset illorum existimatio, sive poenitentia publica indicta fuisset auctoritate Ecclesiæ, sive spontè quisquam ex demissione animi publicam poenitentiam suscepisset, can. 55. 56. 58. 60. & 68. dist. 50., can. 1. 2. 3. dist. 55., can. 3. dist. 61., can. 4. 5. dist. 81., cap. 1. de bigam. non ordin., quamquam necessitate cogente ad minora officia ex quadam dispensatione admittebantur, dicto can. 68. dist. 50. Ex eo verò, quod quis ægrotatione pressus poenitentiam publicam se in futurum vovisset, non inde evadere irregularis, si non

fuisse poenitentiam stationes ingressus, can. 57. dist. 50. At enim hæc poenitentia sublata publicorum poenitentiarum disciplinam poenitentis exoleverunt.

Ex defectu Sacramenti dici solent irregulares tres hominum conditiones, nimirum Clynici, Neophyti, & Bigami. Clynici in primis, qui distulerunt Sacramenti baptismatis susceptionem in tempus suæ infirmitatis; de his enim gravis oboritur suspicio, ne firma omnino voluntate ad Sacramentum accesserint, can. un. dist. 57., deinde Neophyti, seu recens baptizati, utpotè qui minus & fide, & moribus probati videntur, can. 1. dist. 48., can. 9. dist. 61., can. 3. 9. dist. 77., quorum exemplo neque admittuntur ad majora Ecclesiæ officia, qui recens ex laicis in clerum admissi fuerunt, can. 2. dist. 48., can. 1. & sequentibus dist. 61., & difficilius dispensatur cum iis, qui recens ab hæreticis reversi sunt, aut publicorum poenitentium stationes recens exegerunt, can. 3. dist. 61. Hæc ex Apostolica Pauli doctrina derivata sunt, atque in canones traducta, can. 1. dist. 48., triplicem ob causam, primò ne quis ambitu moveatur, deinde ut per gradus ad majora Ecclesiæ officia ascendatur, postremò ut certus inter promovendos ordo servetur, & minor provectionibus minime præferatur. De bigamis non ordinandis vetustissima est disciplina, quæ vel ipsum Paulum Apostolum habet auctorem, 1. ad Timoth. cap. 3., ad Titum cap. 1., ad Ephesios cap. 5., unde etiam recentiores Pontifices sequentes veterum Patrum vestigia, ubi de hac re ageretur ad Apostolicum præceptum semper provocaverunt, cap. 2. & 3. de bigam. non ordin. Simplex initio erat hæc doctrina; sed Scholastica mediæ ætatis, symbolis, ac figuris plura adumbrantes, & res valde dissitas ad studiosorum commoditatem jungentes, triplex bigamiæ genus dixerunt, quod deinde Pragmatici secuti sunt. Primam bigamiam veram, & propriam, alteram interpretativam, postremam similitudinariam

fiam vocaverunt. Propriam, & veram esse dixerunt, de qua locutus est laudatus Apostolus, & quam ab antiquissima ætate sacri canones irregularitate notaverunt, cum quis vel simul, vel successivè duabus conjugibus est copulatus. Hæc in re vetus fuit quæstio, num bigamus censeretur, qui unam ante baptismum, alteram post baptismum duxisset uxorem. Vel ipsi Sancti Patres, inter ceteros Augustinus, & Hieronymus, invicem disputaverunt, can. 1. & 2. dist. 26. Sed prævaluit Augustini sententia, recepta statim ac fuit auctoritate Innocentii I. probata in can. 3. dist. 26., quo definitum est, adhuc bigamum illum censeri. Hoc disputationis genus totum tunc temporis exigebatur ad præceptum Apostoli Pauli, qui ordinari volebat eum, qui unius duxerat uxoris vir fuisset; uxor autem æquè dicebatur, sive quæ ante baptismum, sive quæ post baptismum ducta fuisset. Tantum allegabant, qui contra sentiebant, per baptismum fieri novum hominem, & quæ præcessissent, poenitentis aboleri, quod solidis argumentis Innocentius I. refutavit in dicto can. 3. Prisca illa ætate non opus erat disputare, an etiam irregulares essent, qui non uxores, sed concubinas plures sibi junxissent, aut qui cum pluribus extra conjugium turpiter conjuncti fuissent, quasi isti eodem jure, imò & deteriore censerentur. Concubinarij, & rei adulterij, vel stupri ex alia causa irregulares tunc habebantur, nimirum ex crimine, can. 1. dist. 28., can. 1. & 7. dist. 33., can. 33. 34. dist. 50., atque non satis decebat, hos æquiparare illis, qui duplex successivè conjugium contraxissent. Verùm cum primùm post receptas Isidori Mercatoris decretales cum reis criminum, præsertim poenitentibus, mitius agi cepit, & ob frequentes dispensationes ordinarentur passim graviorum etiam criminum rei, visa est humanior disciplina erga adulteros, & fornicatores, quam erga bigamos; ac tunc primùm tradi ce-

pit, in bigamis impedimento esse, ne ordinarentur, quemdam Sacramenti defectum, qualis non agnoscebatur in iis, qui turpem, aut minus castam vitam duxissent. His principiis regebatur ecclesiastica disciplina sæculi 12. & 13., unde cum disputari cœpisset, an arcendus esset quasi bigamus à sacra ordinatione, qui plures habuisset concubinas, rescriptum est, non esse arcendum, cap. 6. de bigam. non ordin. Difficilior visa est definitio alterius quæstionis, num tanquam bigamus irregularis habendus esset, qui duplex non jure, sed factò, matrimonium contraxisset, quia scilicet alterutrum conjugium ex legum censura non subsisteret. Innocentius III. post prodita in utramque partem de more Scholasticorum illius ætatis argumenta, observavit quidem generale principium, quòd tunc temporis firmum erat, bigamiam ex eo irregularitatem inducere, quòd in ea defectus quidam Sacramenti agnosceretur; atque inde conclusit eum, de quo quærebatur, propriè bigamum dici non posse; attamen ad animum potius conjugium contrahentis exteriori proditum cum opere subsecuto, intendens quam ad conjugij veritatem, noluit, eum ad sacros ordines posse promoveri, cap. 4. & ult. de bigam. non ordin., ex quibus aperte dignoscitur causa, quare idem Innocentius aliud rescripserit in ea specie, qua quis plures concubinas habuisset, aut cum pluribus esset fornicatus, dicto cap. 6. de bigam. non ordin. Interpretativam bigamiam dixerunt, cum quis uxorem viduam duceret. Et quidem veteri canones sunt, quibus viduarum mariti ab ordinibus arcebantur, can. 9. 10. 15. 18. dist. 34., sed plurimum vercor, ne hæc irregularitas ex causa bigamiæ jusdam invecta non fuerit; potius vel ex quadam infamiæ nota, quæ recens viduis mulieribus etiam ex Romanorum legum disciplina immincebat, vel ex censura veterum Patrum, qui satis non probabant secundas mulierum nuptias. At recentiores etiam in hoc conjugio quem-



dam Sacramenti defectum agnoverunt. Disputari inde cœpit, an bigamus etiam diceretur, qui duxisset eam, quæ alteri fuisset tantummodo desponsata, aut quidem post matrimonium ratum in domum ducta, non cognita; atque Innocentius III. quadam variorum symbolorum inductione definiivit, nullam irregularitatem imminere, cap. 5. de bigam. non ordin. Sanè eum, qui duxisset uxorem ab altero repudiatam, irregularem fuisse, nescio an dicam ex defectu sacramenti, an potius ex causa criminis, veteres canones definiiverunt, can. 17. ex Apostolicis, can. 25. dist. 34., cap. 1. de bigam. non ordin. At cum de eo quaeritur, qui duxerit meretricem, vel ancillam, vel sceniam, vel qui cum uxore adultera sciens prudens conjugio usus fuerit; & constat, eum esse irregularem, can. 17. ex Apostolicis, can. 11. 12. 15. 16. dist. 34., pro certo habeo, hanc irregularitatem non esse referendam ad defectum Sacramenti, sed potius ad quandam infamiam notam, quæ marito in iis speciebus inurebatur. Similitudinariam bigamiam dixerunt, cum quis post solemnem continentiae professionem matrimonium contraxit, can. 24. caus. 27. quæst. 1., cap. ult. de bigam. non ordin., cap. 4. de Cler. conjug. Certa quidem est censura canonum, qua in proposito imminet irregularitas: meo tamen iudicio eadem potius inflicta est, veluti criminis poena, non in argumentum defectus alicujus Sacramenti. Ex quibus observationibus colligitur, tria hæc bigamiae genera non eodem jure censerit; quamobrem si quæ sunt canonum definitiones, quibus certæ poenæ adversus bigamorum ordinationes statuta sunt,

cas propriè ad bigamos primi generis pertinere, parcius referri ad bigamos secundi generis, ad bigamos tertii generis nullo modo. Statuit Lucius III., vix dispensari posse cum bigamis ordinandis, ne dispensatio fiat adversus præceptum Apostoli, cap. 2. de bigam. non ordin. Cur non de bigamia tantum primi generis id erit intelligendum? Statuit Arelatense Concilium in can. 2. dist. 55., ordinatorum eorum, qui bigami essent, vel viduarum mariti, per annum à Missæ sacrificio abstinere oportere. Cur non coëreatur hæc sanctio ad bigamos primi, & secundi generis, quin locum habeat in bigamis tertii? Statuit iterum Lucius III. in dicto cap. 2. de bigamis, ordinatorum bigamorum contra præceptum Apostoli, potestate ordinandi privari. Cur non id de bigamis tantum primi generis est intelligendum? sive quod temporibus Lucii III. nomine bigamorum veniebant tantum bigami primi generis, sive quod Lucius III. sese referat ad bigamos, quales Apostolus declaravit, qui non sunt unius uxoris viri. Denique statuit Gregorius X., bigamos Clericos esse omni privilegio clericali nudatos, cap. un. de bigamis in 6. Quis non intelligat, hac constitutione non comprehendi bigamos tertii generis, propterea quod hujus generis bigami non nisi impropiè bigami nominantur, cap. 1. & 2. qui Cleric. vel vov., cap. 4. de Cleric. conjug., & vix comprehendi in eadem constitutione bigamos secundi generis, quia temporibus Gregorii X. viduarum mariti generali bigamorum vocabulo venire cœperunt, argumento capituli ult. de bigam. non ordinandis?

## CAPUT V.

## De specialibus irregularitatis causis, ubi est poena criminis.

Huc referendi specialiter sunt tituli 8. 9. 12. 14. 25., & 27. libri 5.

Definiri generaliter potest, nullum crimen irregularitatem parere, nisi quod expressa lege irregularitate puniatur, argumento cap. 18. de sent. excom. in 6., juncto can. 1. dist. 81. Deinde adijciendum est, hanc poenam duas ex causis iudici consuevisse, primò causa criminum, quæ vel mortis poena publica lege plectuntur, can. 23. dist. 54., vel infamem jure publico reddunt, aut quemquam ex jure ecclesiastico poenitentia publicæ addicunt, quemadmodum faciliè ex dictis in capite præcedente colligitur; secundò causa criminum, quæ rectè opponi administrationi sacrorum videntur, uti contingit in crimine hæreseos, quòd Evangelicæ prædicationis officio, in reiteratione baptismi, quæ canonice ejusdem Sacramenti administrationi, in crimine homicidii aut mutilationis, quòd inruento Eucharistici Sacramenti ministerio, aut in quibusdam ordinis vel illicitè suscepti, vel illicitè exerciti speciebus, item simoniaci quibusdam gestibus, conjugiiive à Clericis in majoribus ordinibus celebratis, quæ omnia legitimo ordinis sacri ministerio, è diametro, & maxime adversantur. Multum autem interest hodie, an tale crimen sit, quod ex causa capitalis poenæ, vel infamiae; an tale, quod ex oppositione cum recta ordinis administratione reddat irregularem. Si capitalis poenæ, vel infamiae causa irregularitatis crimen sequitur, quidquid olim vigeret, hodie ferè obtinuit, ut non aliter ea crimina irregularem reddant, quam si publica sint, & in iudicium deducta, non si occulta, & omnino secreta, uti exempla sunt in cri-

mine adulterii, fornicationis, concubitus, perjurii, furti, falsi, & similibus can. 18. dist. 61., can. 1. dist. 81., cap. 4. & ult. de tempor. ordinat., cap. 4. de judic., Concilio Tridentino sess. 25. de Ref. cap. 14., juncto can. 1. dist. 33. At si altera de causa indicitur irregularitas, imminet poena, etiam si crimen occultum fuerit. Neque obstat dictum capitulum ult. de temp. ordinat., ubi solum homicidii crimen excipitur, quasi ex eo uno etiam occulto irregularitas imminet. Etenim observandum est, in eo contineri rescriptum singulari specie propositæ accommodatum. Interrogatus fuerat Gregorius IX. de irregularitate, quæ imminet adulteris, perjuris, homicidis, & falsis testibus. Respondit, ex criminibus illis occultis quemquam non fieri irregularem præter reos homicidii. Pertinebat interrogatio ad criminalem lege publica vel capitali poena, vel certè infamia damnata. De criminibus, quæ directè pugnant sacris ministeriis, altum silentium. Qui ergo homicidium à regula exceptit, tantum regulam statuit de criminibus poena capitali, vel infamia damnatis, non de cæteris, quæ alia de causa irregularitatem inducunt.

Itaque olim erant multa crimina, quæ cum essent aut poena mortis, aut poena infamiae publicis legibus damnata, poena quoque irregularitatis sacris canonibus puniebantur. Hujusmodi fuerunt adulteria, stupra, & qui propè ad hæreticos conjunctiones accedunt, concubitus, perjuria, crimen falsi, & similia. De quibuscumque nefariis conjunc-